



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. De portione CANonica debita Episcopo ex legatis pijs, & quomodo
legata illa sint distribuenda?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Sunt tamen etiam plures Casus, in quibus Falcidia detractio locum non habet, sic primò non habet locum, si expressè eam prohibuerit testator, non ignarus vitium sui patrimonij. Secundò valde probabile est, quòd locum non habeat in legatis pijs (cùm ad hæc legata se non extendat sæcularis potestas, quæ Falcidiam introduxit) nisi alia pia causa fuisset hæres instituta, in tali enim casu privilegium contra æque privilegiatum nihil prodesset. Tertio locum non habet, si inventarium non conficit hæres hereditatis aditæ, intra tempus, & juxta formam à jure præscriptam, aut si à iudice monitus intra annum testatoris voluntatem non fuit executus; aut si surripuit, negavit, occultavit &c. de bonis hereditatis; aliqua, in penam scilicet admittit culpæ. Quarto locum non habet, si res legata fuit cum eâ clausula, ut non alienetur, sed perpetuò penes familiam maneat; aut si aliunde res legata privilegiata sit, prout sunt privilegiata legata, in testamento, militari jure, facta &c.

§. IV.

De portione Canonica debita Episcopo ex legatis pijs, & quomodo legata illa sint distribuenda?

Portio Canonica vocatur illa pars, quæ Episcopo debetur, ex ijs, quæ pro salute animæ Ecclesijs, Monasterijs, aut alijs pijs locis intra suam diocesim finis, nec specialiter à jurisdictione Episcopi exemptis, aut privilegiatis, legata, aut mortis causâ donata fuerunt (nisi sint hæc ipsa legata juxta Cap. *Vel. h. r.* à portione Canonica privilegiata) &

alicubi, quarta pars talium legatorum est, alibi tertia pars, alibi dimidia, quia tamen in nostris partibus nullus portio- nis hujus canonicæ usus esse videtur, etsi alicubi usus adhuc viget, quantum, & ex quibus legatis solvenda illa sit, ex recepta consuetudine desumi debet, hinc non videbo, quare multùm de hac materia simus solliciti. videatur Cap. officij 14. cap. requisisti 15. ac cap. de his. 20. h. s.

SECTIO V.

De executione Testamenti
& aliarum ultimarum vo-
luntatum.

§. I.

*Quis possit, & esse debeat Execu-
tor Testamenti, vel alterius ultima
voluntatis.*

Executores testamentorum alij dicuntur testamentarij, qui ab ipso testatore in testamento dantur; alij dicuntur legales, vel legitimi, qui ab ipso jure dantur; alij denique vocantur dativi, qui à magistratu constituuntur, ita tamen, ut hi posteriores, secundo & tertio loco positi, in defectum testamentariorum tantùm dentur; & quamvis ordinariè, si nullus à testatore executor nominatus sit, hæredi incumbat testamento executio, gravitudine ita jubente, & quoad pia legata, Episcopo; possunt tamen executores testamentarij in testamento dati à testatore, & quidem unus, vel plures, sive ex hæredibus, sive ex alijs